



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43va-43vb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 21 quaeritur primo utrum tentatio sit appetenda.

Videtur quod sic. Sed illud Jacobi I, Omne gaudium existimate, fratres mei beatissimi, cum in temptationes varias incideritis. Sed illud de quo gaudendum est dum habetur, est appetendum cum non habetur. Ergo tentatio est appetenda.

Praeterea. Illud in quo virtus alicuius maioratur est appetendum. Sed in tentationibus maioratur virtus hominis, et ibi quodammodo refloret. Ergo tentatio est appetenda.

Contra illud non debemus appetere cuius ammonitionem debemus appetere et orare docemur. Sed Christus docet nos orare ut tentatio a nobis admoveatur, ut patet in oratione dominica. Ergo tentatio non est a nobis appetenda.

Ad evidentiam istius quaestionis sunt tria videnda. Primum ad quem pertinet tentare; secundum qualiter tentatio rationem peccati habeat; tertium qualiter sit a nobis appetenda vel vitanda.

Circa primum sciendum quod ad perfectam rationem tentationis tria concurrunt. Primum est ut per tentationem dubium aliquod manifestetur; secundum est ut hoc intentum sit ab eo qui tentat; tertium est ut cognitionem illius rei accipere velit quod ab eo ignotum est, verbi gratia tentatio aliquem de scientia quam habet volens ab eo experiri, si sciat illud quod peto et hoc intendo et dubium est audientibus utrum illud sciat et non solum ipsis, immo etiam ipsi tentanti. Hiis visis sciendum quod aliquando in temptatione salvantur duo praedictorum tantum, aliquando unum. Et sic diversimode dicuntur tentare. Aliquando enim in temptatione est manifestatio ignoti et intentio eius qui tentat; et hoc modo dicitur Deus tentare, sicut patet in temptatione Abrahae: in praecepto de immolatione filii, quia in hoc manifestatur qualis esset oboedientia et fides Abrahae. Et hanc manifestationem dominus intendebat, tamen tertium deerat ibi, quia per temptationem illam non accepit Deus cognitionem de fide sua quam prius bene cognoscebat, sed manifestabat eam aliis in exemplum. Alia autem est tentatio in qua salvatur unum praedictorum tantum, scilicet manifestatio tentati. Et hoc modo dicitur caro vel mundus tentare, quia in hiis manifeste cognoscitur virtus vel infirmitas eius qui tentatur, sicut in bello cognoscitur virtus militis. Unde impugnatio ipsa virtutis militis a quocumque sit, dicitur temptatio et haec impugnatio habet fieri dupliciter. Uno modo a principio intrinseco, et haec tentatio est a carne. Alio modo a principio extrinseco hoc contingit dupliciter, quia illud extrinsecum principium vel impugnat per modum obiecti sic est impugnatio a mundo, cuius rebus corda alliciuntur ad peccandum vel illud extrinsecum principium impugnat per modum agentis trahentis ad peccandum vel suadendo vel terrendo vel blandiendo. Et hoc modo dicitur esse tentatio ab hoste scilicet dyabolo et membris suis. Et sic patet quod tentare dicitur Deus, mundus, dyabolus et caro et qualiter diversimode. Quantum ad secundum sciendum quod hoc peccatum consistit in actu non tamen in actu quocumque, quia peccatum unius numquam consistit in actu alterius, sed in actu proprio loquendo de peccato actuali, quia anima quae peccaverit ipsa morietur. Cum igitur in tentatione carnis ipse appetitus illicitus, secundum quem aliquis tentari dicitur, sit actus eius qui tentatur, quia non solum caro concupiscit, sed totum coniunctum: ideo talis tentatio carnis est semper peccatum in eo qui tentatur. Tentatio autem quae est a mundo, et ab hoste, et a principio extrinseco, eius actus non est in tentato. Et ideo cum peccatum existat in actu proprio, talis tentatio non est peccatum in tentato, nisi propter



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. XXI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 43va-43vb
transcribed by Andrea Colli

delectationem et consensum, quia tunc tentatus incipit cooperari tentanti et per consequens per actum proprium peccare. Sic patet secundum.

Quantum ad tertium qualiter tentatio sit appetenda, dicendum quod cum nihil cadat sub appetitu, nisi sub ratione boni, hoc modo tentatio est appetenda, ut potest habere rationem boni. Cum igitur tentatio non sit finis, oportet quod si habeat rationem boni quod hoc sit in quantum est ordinabilis ad finem consequendum, ad finem autem consequendum potest aliquid ordinari dupliciter: uno modo per se, alio modo per accidens. Per se autem ad finem est ordinabile, quod de se habet ducere ad finem, sicut medicina bene confecta et subiecto bene disposito applicata secundum se habet in sanitatem ducere. Per accidens autem est aliquid ordinabile in finem quod secundum se habet aliquid in aliud /43vb/ ducere quam in finem illum, tamen per aliam causam concreantem habet ducere in finem intentum, sicut si quis comederet venenum ut moreretur et incontinenter sanitas. Cum autem causa per accidens non sit proportionata effectui, sed solum causa per se, quia ex hoc quod aliquid est ordinabile in finem per accidens, non erit dicendum bonum simpliciter vel appetibile, nisi concreantibus omnibus quae ad finem possunt determinare. Et quia tentatio per se ordinatur ad hominis perditionem; ad salutem autem non nisi per accidens, scilicet per hoc quod vincitur per auxilium gratiae divinae. Ergo tentari simpliciter non est appetendum, sed solum tentari et vincere simul acceptum est appetendum magis. Verumptamen quia propter fragilitatem humanam temptatio nimis est dubia, ideo tentari securius fugitur quam appetitur. Et quia tanta fragilitas non fuit in primo homine, sicut in nobis, immo quia minori tentatione cecidit tentatus et facilius potuit resistere quam nos, ideo quantum ad istas condiciones peccatum eius fuit gravius quocumque peccato quod facimus. Si tamen consideremus rationem peccati quantum ad speciem peccati multo graviora sunt modo peccata quam fuerit peccatum primi hominis, tamen peccatum suum sic fuit grave, quia fuit mortale, non enim potuit primo peccato peccare venialiter. Cuius ratio est quia illa erat primi status rectitudo, ut tamdiu corpus subiceretur animae et vires inferiores superioribus, quamdiu ipsa mens superior Deo per oboedientiam subiectam erat nec poterat illa connexio solvi, nisi facta prius de ordine rationis superioris ad Deum. Et quia istud sine peccato mortali non poterat esse, ideo primum peccatum primi hominis veniale esse non potuit, sed mortale.

Ad primum argumentum dicendum quod Iacobus hortatur ad gaudium de tentationibus non propter ipsas, sed magis propter patientiam per quam vincantur tentationes. Unde non est gaudium de tentationibus, sed magis de patientia.

Ad secundum dicendum quod in tentationibus non relucet bonum hominis nisi praesupposito quodam alio scilicet victoria.